



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm  
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

**Mayer, Christian**

**Coloniæ Agrippinæ, 1635**

3. De tribus volentibus sequi Christum reiectis Matt. 8. Luc. 9.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

III. *Et erat predicans in Synagogis eorum, & in omni Galilæa, & demonia eiciens.* En vt docet exemplo, ad quod inuitârat verbo, indefesso zelo vicos & vrbes circumcurfando, oues errantes quærendo, ignorantes docendo, afflictis opitulando! Zelus proximos omni ope iuandi.

III. *De tribus volentibus sequi Christum, reiectis. Matt. 8. Luc. 9.*

I. **V**olenti Christo transfretare, accedens vnus Scriba ait: *Magister, sequar te, quocunque ieris. Et dicit ei Iesus: Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet.* Quanta dignatio Filij Dei, qui cum esset diues, tam pauper amore nostri voluit fieri! quanta gratia posse ac velle efficaciter nudum Iesum sequi? Estimatio & amor paupertatis, & gratiæ vocationis.

II. *Alius ait illi: Domine permittite mihi primum ire & sepelire patrem meum: Iesus autem ait illi: sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Quam verè pretiosa vocationis gratia, quæ nescit tarda molimina! Si eam quamprimum acceptare renuis, indignus ea censeris, nec te retardet erga parentes  
pic-

pietas, cum te affectum sanguinis exuere iubeat Veritas. Per calcatum perge Hieron. patrem, & sic ad vexillum Crucis euola. Ep. ad nam pietatis genus est in re tanti momenti Heliodor. esse crudelem. Mortificatio affectus carnalis, feruor sequendi vocantem Deum.

III. Et ait alter: Sequar te Domine, sed Luc. 9. permittite mihi primùm renuntiare his, qui domi sunt. ait ad illum Iesus: Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei. En quàm necessaria omnimoda abnegatio carnis, & sanguinis, volenti sequi vestigia Saluatoris! Vis ergo viuere & adherere vocanti Christo, morere quàm primùm & constanter carni, sanguini, mundo, nec ynquam respice retrò. Abnegatio omnis affectus carnis & sanguinis.

De duobus Dæmoniis curatis.

IV.

Matt. 8. Marc. 5.

I. **D**elatus Iesus in regionem Gerasenorum Galilæa oppositam, obuios habuit duos dæmoniacos de monumentis exeuntes, sauos & nimis clamantes: Quid nobis & tibi Fili Dei, venisti huc ante tempus torquere nos? quos à dæmonibus liberauit.

Quan-